

audita, manibus contrectata & mortua est, eatenus non est verus Deus. Ita *Meisnerus* respondet in suo Photinianismo, & sic Responsio hæc posterior coincidit cum priore.

Q. II. *Num in Christo sint due Nature?* Resp. Quod sic: Idque ex præsentitextu hoc modo probare conor: Cuicumque in sacris literis tribuuntur Idiomata cum Divina, tum Humana, & quidem propriè non impropiè, is particeps quoque est Divinæ & Humanæ naturæ. At Christo tribuuntur in sacris literis idiomata cum Divina tum Humana. E. *Major* extra controversi. est. *Minor* v. suâ luce radiat, tribuuntur enim Christo in S. lit. manus, pedes, brachia, oculi, incessus, festinatio, & ex hoc textu Apostolico probatur; Tribuitur enim h. l. Christo (a) idiomata Divinum sc. τὸ esse ab initio, fuisse ab æterno. (b) Idiomata Humana, ut: τὸ videri, audiri & manibus contrectari. E. Christus utriusque naturæ particeps est.

Q. III. *Qualis est hæc Propositio: Verbum vitæ, puta essentialiter ἡ ζωὴ, est visum, auditum & manibus Apostolorum contrectatum?* Resp. 1. Propositionem inusitatam à personalibus ortam. In Scholâ quidem Theologicâ, hæc & aliæ ejusmodi propositiones sunt usitatissimæ, in Scholâ tamen Philosophicâ inusitatae & humanæ rationi planè incognitæ. 2. Notandum, Propositiones de Christo duplices esse: Quædam enim sunt Personales, quædam v. ex Personalibus ortæ, illæ vicissim duplices sunt, quædam enim explicant Mysterium unionis utriusque naturæ Divinæ sc. & Humanæ, quædam verò Mysterium unionis duarum in Christo naturarum. *Unio est actus, quo due nature in plenitudine temporis virtute Sp. S. copulate sunt in una persona ἡ ἕξις.* De hac unionione agunt seqq. Propositiones. Joh. 1. 14. Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Hebr. II. 16. ἡ γὰρ non Angelos sed semen Abrahamæ assumit; Hæc verba notant unionem duarum naturarum in una persona. *Unio est status, in quo due istæ nature jam sic copulate, semper unite manent.* Iste est actus transitorius, hic verò permanens; de qua unionione seqq. Propositiones intelligendæ sc. ut Matth. 16. *Deus est Homo, Homo est DEUS,* quæ propositiones semper manent, nam quæ ἡ γὰρ semel assumpsit, illa & durant. Propositiones v. ex Personalibus ortæ iterum in duplici sunt differentiâ; Quædam enim describunt totam Personam Christi, vel ab alterutra natura; ut: *Christus*